



Catalogus digest.

I. J. Semler

1. Objs. super 2 Timoth. III. et IV.
2. Sessio VII Concilii Trident. exemplum.
3. De Regeneratione monastica.
4. de presentia thes. acroamatica pro sic dicta biblica.
5. de infelicitate hominum presenti.
6. de Christi ad Ebgarum epistola.
7. de imagini divina in humana esse natura.
8. de mysticorum interpretationum studio.
9. Antiquitatum nomenclaturarum in Tertull. specul.
10. de tempore quo scripta fuerit epistola Pauli ad Galatas.
11. Partitidos fuisse, de quibz agitur Act. XIX. 5
12. de propagata per Spirituacium inter Germanos ref. Christi.
13. de discrimine notionum vulgarium et Christianorum in libris N. T. observando.
14. In Math. I. 17.
15. de cavenda molesta sedulitate sacra.
16. In Luc. I. Gabrielem spir. s. non esse.
17. Jesum Christum esse Paulo auctore verum Deum et verum hominem. disp. II.
18. Illustratio antiquae verminis ex evangelio Hebraeorum.
19. de vario et impari veterum studio in recolen. da historia desensus ad inferos.
20. spiritum s. recte describi personam.
21. de Sesoborovi et evangelio Hebraeorum.
22. de discrimine inter baptizatos et non baptizatos.

II. J. A. Neigelt.

23. Singularis providentiae divinae in pace religionis vestigia.
24. de discernenda propria et tropica dictione.
25. de Latent patrum graecorum in nouum.
26. in 1. Cor. II. 20 et 27.
27. Interpr. caritatis anglica Luc. II. 14
28. de Christo homine regnante.
29. Deum auctoritatem divinam religionis Christi confirmare sequi maioribus legitimatione finalica.
30. ad Heb. II. 6
31. in 2 Cor. III. 17.
32. ad Rom. XXIII. 17.
33. in Joh. XII. 20-28.
34. de vera vi nominis filiorum dei.
35. In 2 Thes. I. 1-12.
36. In Joh. XII. 1-7.
37. In Joh. XII. 13-17.
38. Solus in suo Regno unig. N. D. I. - 764
T. 8. Quotid. 2 Cor. II. 6.

129
1

34

33

IO. AVG. NOESSELT
INTERPRETATIO GRAMMATICA
LOCI EVANGEL. IOANN. C. XII, 20-33.

PROLVSI
AD COMMENDANDAM CELEBRATIONEM
MEMORIAE IESV CHRISTI E MORTVIS REVOCATI
NOMINE ACADEMIAE HALENSIS
SCRIPTA.

HALAE,
FORMIS HENDELIANIS A. MDCCLXXVIII.



22
23
••

IO. AVG. NOBESSETTI

INTERPRETATIO GRAMMATICAE
LOCI EVANGELII IOHANNIS C. XII. 28-32

PROLOGUS

AD COMPLETANDAM OPERACIONEM

MEMORIAM IESU CHRISTI ET MORTIS REVOCATI

NUMERO SACRAMENTIS SACRAMENTIS

SCHEMATA

HAERESIS

BOEMIE HERETICAE A NOBIS EXPOSITA



Quæ in vniuersa rerum natura cernitur sapiens bonorum malorumque temperatio, qua fit, vt, quemadmodum in picturis æquabili vmbrae luminisque tributione, admirabilis quædam & optimi maximi artificis ingenio digna venustas existat, eadem ipsa maxime conspicua est in diuina humanorum animorum rerumque moderatione. Quodsi enim, doloribus omnibus detractis, omnium effemus voluptatis genere cumulati, non solum continuæ voluptatis satietas, ipso fastidio, suauitatis omnis sensum deleteret aut frangeret, voluptatemque in dolorem ipsa bonorum vacuitate molestiorem, conuerteret, sed nos excluderet etiam ab omni fructu felicitatis eius, quæ vna maxima est & propria intelligentium naturarum. Existit enim voluptas non parua ex eo quod tamquam nostrum, hoc est a nobis ipsis effectum, cognouimus, propterea quod in ea re est sensus facultatis nostræ & præclaræ cuiusdam indolis ad agendum, qua id, quod cupimus, enitendo consequi posse videmus. Quo quidem fit, vt iis quæ ardua sunt & ad expediendum difficilia, non modo non deterreamur, sed etiam hæc maxime anquiramus in quibus iactare se diligentia nostra possit, atque labor ipse ac studium hoc videatur suauius, quo grauiora fuerint subeundæ molestiæ, quæ si nullæ essent aut leues, quam nullum nostrum foret studium aut talis victoria quam indigna virtute nostra? Ac si neque beati esse sine virtute nec hominis dignitatem similitudinemque cum Deo tueri possumus, quo modo sine malis vera virtus posset esse, cuius maxima & propria vis est in temperantia, id est in perferendis doloribus contemnendaque voluptate? Quamquam nec vna in virtute sita est beatitudo omnis, parum enim in nobis ipsis opis est ad bene beatitudo viuendum, in Dei certe beniuolentia ac cura rerum humanarum liberali fere sunt omnia; nec satis ex sententia euentus recte agendi procedet; nec ipsa virtus vera erit aut stabilis, nisi ad voluntatem Dei virtutis laudem dirigamus. Itaque ad pietatem in Deum omnia reuoluuntur, qua nihil nobis potius debet esse,

cuius causa molestias omnes lubenter suscipere, laeta omnia vitio repudiare oportet. Mala igitur ac dolores cum bonorum usurae adiunxerit Deus, facile est ad intelligendum, in illis non impedimenta felicitatis nostrae sed adiumenta quaerenda, nec noxia nobis, nisi culpa nostra, sed fausta etiam putanda esse.

Atqui vel sic aperitur, doctrinam Domini nostri IESU CHRISTI diuinam plenam esse philosophiae, cum absolutam perfectamque, cuius spem facit, felicitatem non modo non alienam dicat a disciplina perferendorum dolorum, sed ne sine his quidem aditum vel ad veram virtutem vel ad perennem felicitatem patere. Nec Christus umquam neglexit de via salutis consequendae ex sese quaerentibus arduam hanc & hominum tarditati aut ignaviae molestam rationem proponere, praesertim cum eo, quo intenderent, prorsus contraria via se deductum iri sperarent, verendumque esset, ne de vanitate spei suae deiecti omnem Christi disciplinam dimitterent. E quo genere locus est in Ioannis Evangelio c. XII 20-33, quem per hanc occasionem illustrandum de-creuimus.

Nempe cum instarent festi dies quibus Iudaei memoriam liberationis maiorum suorum a seruitute Aegyptiaca, agno vescendo, celebrarent, atque confluxisset Hierosolymis magna multitudo Iudaeorum, erant in his quoque Ἑλλήνες qui cuperent videre Iesum eaque de re Philippum Apostolum adirent, ut sibi copiam illius videndi h. e. colloquendi faceret. In quo, ad sensum sermonis Christi, in quem hac opportunitate incidisset, recte intelligendum proderit quaerere: qui fuerint isti Ἑλλήνες? itemque, quale eorum consilium in requirendis sermonibus Christi fuerit? Ἑλλήνες igitur non Iudaei fuisse videntur degentes extra Palaestinam, quo nomine hi numquam appellantur, ne in loco quidem c. VII, 35. quanquam id interpretibus quibusdam optantibus magis quam docentibus videbatur. Neque magis de gentibus erant Ἑλλήνες s. de deorum cultoribus. Nam etsi non ignoramus con-

sue.

fueuisse etiam huius generis homines Hierosolymis, idque in templo, vel sacrificia offerre Deo, quod allatis exemplis docuerunt SELDENVS (de iure nat. & gent. lib. III. c. 6. seq.) BERN. LAMY (de tabernac. foeder. de sancta ciuit. cet. l. V. c. VI. Sect. V. p. 807) & WESTENIVS ad h. l.: nec quisquam docebit tamen eos solitos fuisse Hierosolyma proficisci vt ibi in sollempnitate Paschali adorarent Deum, quod Ioannes de his Ἑλλησι perspicue tradit. Ἑλληνας quidem Profelytos etiam dici de gentibus, dubitari non potest propter ea quod eos alias σεβομένους Ἑλληνας dicit Lucas (Act. XVII, 4.) quod attributum τῶν σεβομένων proprium est Profelytorum nomen. Nec magis ex eo, quod Ioannes hoc attributo non vtitur, colligi potest istos ab hoc loco alienos esse, quam e loco Act. XIII, 43, vbi τῶν σεβομένων προσηλύτων mentionem facit Lucas, προσηλύτης sine illa adiectione non esse Profelytos. Et vero etiam Lucas v. 42. τὰ ἔθνη commemorat, pro iisque versu 43. substituit σεβ. προσηλύτης, vt facile intelligatur, τὰ ἔθνη, τὰς Ἑλληνας, etiam simpliciter, nullo alio verbo addito, de Profelytis dici, quo sensu idem nomen τῶν ἔθνων est Act. XI. XV. & alibi, id quod multi iique nobiles interpretes agnouerunt. Satis est certe quod Ioannes adiectis verbis Ἐκ (non σύν ἢ μετά) τῶν ἀναβαινόντων ἵνα προσκυνήσωσιν EN THI OOPHI, definiuerit, quales significauerit Ἑλληνας.

Diximus quidem quid hac in re sit varias inter sententias ad veritatem propensius, nec alia sententia magis ipso cum rogantium consilio consentit, de quo in primis dicendum videtur. Id igitur vnde rectius eliciatur quam ex ipsius Christi sermone, quo illa petitione ad se delata fertur? Est autem caput istius orationis Christi in eo, quod doceat: verum esse quod nunc infert tempus consequendi honoris sui, non alia via tamen quam subeunda multorum malorum acerbitate, eandemque viam tenere debere eos, qui eiusdem honoris obtinendi sint cupidi. His positis quis ita hebes est quin agnoscat, hos Ἑλληνας, persuasos de imperio hoc tempore a Iesu occupando, se commendare eius beuiuolentiae parti-

ricipesque felicitatis huius temporis fieri voluisse; plane ut Zebedæi filii, qui eodem consilio, in simili re, Iesum rogando adiissent Marc. X, 35. seq. Omnino animum subit admiratio quid sit causæ cur hoc ipsum consilium non viderint plerique interpretes, cum ea ipsa, quæ Ioannes ante hanc narrationem commemorasset, plane ita rem confirmant fuisse. Namque ipsi Iesu urbem ingredienti acclamauerat populus tamquam *Israhelitarum Regi* v. 13. laudaueratque venientem in nomine Domini; neque modo summa nunc erat expectatio omnium fore ut Iesus regnum constitueret suum, id quod vel filiorum Zebedæi ambitio docet, quæ apud Matthæum c. XX & Marcum l. c. statim ante hanc historiam de ingressione Iesu Hierosolymitana relata legitur, sed etiam editum a Iesu, Lazari reuocatione e mortuis, miraculum vno ore iactabant in populo vniuersi, quibus laudibus populique concursu commoti Iudæorum primarii viri v. 19, ut paulo ante Io. XI, 48., verebantur ne, vbi omnes crederent in eum, Romani locum i. e. Hierosolyma, gentemque Iudaicam euerterent, quod quomodo potuissent vereri, nisi Iesum nunc imperium suum constitutum credidissent? Neque igitur iniuria arbitramur, hos Ἐθνητας, quos Proselytos potius de gentibus quam proprios Deorum cultores fuisse vel hæc ipsa persuasio prodit, sperasse, primum iam esse Iesum imperii sui gloriam occupaturum, tum ciues huius imperii in summa abundantia bonorum terrenorum futuros, denique se quoque venturos in huius felicitatis communionem, si ad fermonem beniuolentiamque Iesu aditus sibi daretur.

Tum Iesus v. 23. (sive præsentibus istis, quidni enim secuti fuerit Philippum & Andream eorum nomine Iesum adituros? siue, si pudor aliquis impediuisset, quominus ipsi Philippum comitarentur, absentibus, ad quos tamen vix dubitari potest Philippum aut rumorem certe detulisse quæ Iesus dixisset) Iesus igitur statim præ se fert ac confitetur: *Omnino venisse tempus quo illustretur Filius hominis.* In hac notione *illustrationis Christi*

Christi omnis est vis & argumentum orationis, nec, ea male intellecta, sensus verborum Christi potest intelligi; placet itaque ab hac explicanda disputationis nostræ primordia capere.

Omnino istud *δοξαθῆναι* refertur ad præmium a Christo reportandum atque usuram bonorum omnium quæ Deus ei, tamquam generis humani sospitatori, destinasset. Namque Iesus eodem, quo se ipsum, loco discipulos suos futuros esse dicit v. 26, pro iisdemque verbis substituit hæc: *τιμήσει ἀντὶς ὁ πατήρ*, quod verbum, ut alias Rom. II, 7. 10. 1 Tim. V, 17. præmium felicitatemque tributam complectitur, perspicueque refertur ad *δικαιοσύνην*, conditionem videlicet humilem, e qua ad altiorem eueherentur, ut præmium pro suscepta humilitate facile agnoscat. Tum Christus postea v. 32 se ipsum *ὑψωθέντα* dicit *ἐκ τῆς γῆς*, sublatum e terris in cælum, ut omnes ad se trahat. Et quem ad modum Paullus Ebr. II, 10 Deum tradit Iesum, auctorem salutis nostræ, filios quam plurimos ad lætiorem conditionem deducturum (*εἰς δόξαν ἀγαγόντα*), per aduersa ad perfectam omnibusque numeris absolutam beatitudinem perduxisse, sic neque noster locus, ubi ad gloriam deducens via aduersa commemoratur, aliam in sententiam debet explicari. At istud ipsum præmium maxime continetur *copia discipulorum*, qua alias, veluti Esai. LIII, 10 sq. Deus labores pro salute generis humani a Christo exantlatos se remuneraturum dicit. Primum enim cum isti homines Iesum tamquam *regem* adirent maiestatemque regiam agnoscerent, eandemque sibi Iesus non neget modo tribuendam esse, ipsam hanc imaginem & dignitatem necesse est complecti vel maxime imperii felicitatem quæ fit e ciuium multitudine. Nec alia de causâ videtur Christus *ministrorum* suorum mentionem fecisse v. 26 nisi ut ea ipsa re se *Dominum* et regem profiteretur, sicuti & alibi c. XVIII, 36, si assumere imperium voluisset, non defuturos sibi aut *ἀνηγέρας* fuisse, qui isto pro imperio decertarent. Verba porro ista: *omnes traham ad me* v. 32, quid aliud significant quam se sibi omnes concilia-

lia-

liaturum doctrina sua? Namque ut ea phrasis c. VI, 44. de Patre dicitur in hunc sensum, ut quæ Iesus expressisset verbis: *trahet ille aliquem ad me*, postea v. 45. declarentur per verba: *erunt omnes edocti a Deo*, quidni & hic eodem accipiatur sensu? Atque hanc maxime esse vim verbi, non eam proprie quæ sit, ut solent interpretari, in ipso fructu beatitudinis sempiternæ, quamquam nec illam alienam ab hoc loco sed veluti conclusam altera illa notione profiterar, & postea docebimus & collatio similis loci cap. XI, 52. declarat. Nam ibi Iesus dicitur moriturus non modo *ἵππερ τῶ ἔθνους*, pro gente Iudaica, sed etiam *ut filios Dei dispersos* (*τὰ τέκνα τῶ Θεοῦ τὰ διασκορπισμένα*) in unum coetum colligeret. In quibus verbis, licet enim id obiter dicere, non obscura significatio est, *διασκορπὸν τῶν Ἑλλήνων* c. VII, 35, de qua valde inter se discrepant interpretes, non esse Iudæos *Ἑλληνίζοντας*, quos volunt extra Palæstinam degentes fuisse, sed homines de gentibus, quos vident interpretes quod sciam omnes c. X, 16. in istis ouibus, quas se Iesus adducturum pollicetur, ut vnus grex fiat, vnus itemque sit Pastor. Enimvero his omnibus in locis non tam de immortalis gloria in cælis consequenda disputatur, quam de constitutione Ecclesiæ Christianæ, conciliandisque Christo per doctrinam Evangelicam discipulis, eademque res, planissime ut in nostro loco, dicitur Christi mortem consecutura.

Sed ut Christus confirmat illis, quæ declarauimus, verbis spem eorum qui percunctando se, interprete Philippo, ad eum conuertissent, eam tamen labefactat & quasi terminat opinionis eorum partem, qua Iesum eiusque discipulos peruersè putabant statim in summa suauitate honorumque gloria futuros. *Profecto*, inquit v. 24, *profecto confirmo vobis, nisi granum frumenti iniectum in terram moriatur, manet illud solum h. e. sine sperato fructu, at si mortuum fuerit, plurimum fert fructum*. A quibus verbis non placet depellere calumniam VOLTARIi cuius inscitiam nuper admodum breuiter ac grauius castigauit HALLERVS ὁ

μικκ.

μακαριστός in epistolis super calumniis empaetarum aetatis nostrae Part. I. p. 264.); clarus quidem satis est sensus: non posse se alios, (hi enim haud dubie sunt isti, de quibus loquitur, fructus, vt cap. IV, 35 & alibi) sibi tamquam discipulos atque imperii sui ciues vindicare, nisi prius mortem ipse subierit, quam si fuerit expertus, tum demum magnam sibi subiectorum copiam habiturum vereque regnaturum. Pariter, qui cupiant in gloriae communionem, hos quoque addit in periculorum societatem venire debere. Nam utrumque subiecit his verbis v. 25. 26: *Quicumque caram habet vitam* i. e. ita amat vt carere malit iure ciuitatis Christi quam pericula doloresque suscipere, *perdet eam* atque spe honorum huius rei publicae excider, *sed qui vitam suam contempserit in his terris, eam seruet in vitam sempiternam*, verae atque immortalis vitae nunquam iacturam faciet. *Si quis mihi seruire voluerit, meosque inter discipulos numerari, me sequatur*, iisdem videlicet laboribus molestisque suscipiendis; *tum ubi ego futurus sum, ibi & ille erit qui mihi seruerit* h. e. eandem felicitatem in caelis consequetur, vt Christus ipse interpretatur c. XIV, 3. XVII, 24, *ac si quis mihi seruerit, cum Patre honorabit.*

Tum Christus tamquam praesentem sentiens futurorum malorum molem: *Iam animus perturbatus est meus! Quid igitur dicam? Pater! eripe me ex hoc tempore! Sed propter ea incidi in hoc ipsum tempus. Pater! illustra nomen tuum!* In quibus verbis quis non animaduertat vim atque incitationem orationis, nec commotionem animi pietatis magnitudine mitigatam admiretur? Quamquam non omnibus aequae expedita videretur vis h. e. sententia verbis istis subiecta. Ac primum nihil est causae cur interpretationem istam etiam a LUTHERO expressam deseramus et cum HEVMANNO subobscuram putemus, qui ad exemplum multorum aliorum coniuncta verba *τί εἶπω Πάτερ σὸν με κ. τ. λ.* iubebat vertere: *Iam quid dicam? Num (dicam):*

dicam): *Pater, eripe me ex hoc hora?* quod meo quidem sensu non tam exprimit vim perturbati animi, quem Christus proficitur ipse, quam interpretatio LUTHERI, facilis illa quidem ad percipiendum, si illud, *quid igitur dicam?* accipitur pro: quo me vertam, nescio, anxius animi hæreo, vim doloris imminens quo modo sustineam non video; planissime vt in illis Christi Matth: XXVI, 38 sqq. *Vndiquaque, ad mortem usque, tristis est animus meus. Aufer a me, si fieri potest, mi Pater, hoc poculum. Veruntamen, non quod ego, sed quod tu vis, fiat*, in quibus nulla potest nota obscuritatis hære. Per hunc ipsum locum cetera, quæ sequuntur, sedati in vnoque Deo eiusque voluntate acquiescentis animi: *Pater illustra tuum nomen!* videntur declarari debere. Principio sumimus non esse læcessendam lectionem, aut pro verbis: $\sigma\tilde{\epsilon}\ \tau\acute{o}\ \delta\upsilon\omicron\mu\alpha$ substituendum cum codicibus aliquot & versionibus: $\sigma\tilde{\epsilon}\ \tau\acute{o}\nu\ \upsilon\acute{\iota}\delta\acute{o}\nu$, quod est haud dubie interpretandi obscurioris vocabuli causa ductum e cap. XVII, 1. vt aliquod simile e vers. 5. in Codice Cantabrigiensi. Satis porro constat, in sacris scripturis eos dici $\delta\omicron\zeta\acute{\alpha}\lambda\lambda\epsilon\iota\upsilon\ \tau\acute{o}\nu\ \Theta\epsilon\acute{o}\nu$, illustrare Deum, honorem deferre Deo, qui agant id, quod sit consilio voluntatique Dei accommodatum, vt Abrahamum Rom. IV, 20. $\delta\acute{o}\nu\tau\alpha\ \delta\acute{\epsilon}\zeta\alpha\upsilon\ \tau\acute{\omega}\ \Theta\epsilon\acute{\omega}$ cum de fide Dei nullo modo dubitaret, vt gentiles Act. XIII, 48. $\delta\omicron\zeta\acute{\alpha}\lambda\lambda\omicron\upsilon\tau\iota\upsilon\ \tau\acute{\omega}\nu\ \lambda\acute{o}\gamma\omicron\nu\ \tau\acute{\epsilon}\ \kappa\upsilon\tau\iota\varsigma$, cum fide, vt ait ibi Lucas, complecterentur a Paulo dicta, vt Christianos 1 Petr. IV, 16. $\delta\omicron\zeta\acute{\alpha}\lambda\lambda\omicron\upsilon\tau\alpha\ \tau\ \Theta\epsilon\acute{o}\nu$ aduersis constanter ferendis; quem ad modum vicissim *traducebatur nomen Dei apud gentes* per Iudaeos qui puritatem cognitionis legum diuinarum vitis contaminarent suis, Rom. II, 24. Ad hæc illius formulæ exempla & locum, quem excitabamus, simillimum Matth. XXVI. quo sese proficitur Iesus nihil cupere aut rogare nisi quod velit Deus, habebunt certe hanc vim: *Lubens equidem suscipiam quidquid, te prouidente, acciderit; tu modo cura quod Tibi honori sit voluntatique*

tatique Tuæ consentaneum. Atqui hoc erat vel maxime in propagatione doctrinæ Iesu Christi, qua ei, tamquam præmium pro susceptis doloribus, conciliabatur magna discipulorum copia, quos reget docendo felicitateque sempiterna bearet. Namque obsequendo huic doctrinæ illustratur gloria Dei, vt erat in locis iis quæ illam loquendi formulam continebant, quem ad modum in aliis multis, veluti Io. XV, 8: *hoc ipso honor defertur Patri meo, quod fructus quamplurimos feratis h. e. si secuti fueritis doctrinam meam v. 7. atque sic eritis discipuli mei.* Hac quoque re continebatur ἐνδοξασμὸς Christi, quem supra declarauimus ad v. 23, coniunctus ille quidem cum Patris honore. Nec alius est alibi, vt in nobilissimo loco Phil: II, 9 sq. qui Christo, ex aduersis erepto, tribuit illud nomen s. dignitatem, quæ vna omnium maxima sit, vt omnes Iesum tamquam Dominum venerentur, ad honorem Dei Patris.

Hæc cum exclamasset Iesus, de cælo, narrante Ioanne v. 28, deferebatur vox huius modi: *Iam illustraui (nomen meum) item & posthac illustrabo.* Quæ illustratio vel facta dici potest per miracula, vt per reuocationem Iesu e mortuis, translationem in cælum, prodigiaque ante a Christo, post ab Apostolis nomine Iesu edita, quod plerisque interpretibus placet, vel per doctrinæ latius propagatæ vim, quæ vti antea sic posthac multo plures Deo & Christo cultores conciliaret. Atque hunc sensum confirmat sententia eidem formulæ subiecta, cum Christus dixisset: *Illustra nomen tuum!* quæ eandem in Dei responsione requirit. Nec alius subesse sensus simillimo loco potest apud Io. XVII. Namque ibi cum rogasset Iesus vt Pater Filium illustraret, subiecissetque causam cur ita rogasset, nempe *vt Filius tuus illustret Te,* statim addit hæc: *si quidem ei dedisti potestatem in homines vniuersos (ἐξουσίαν πάντων σαρξῶν) vt quoscunque ei dederis (per Euangelii doctrinam, vide c. VI, 39 & 37 coll. cum v. 35) iis det vitam æternam, quam istis ait contingere v. 3. per cognitionem Patris*

et, quem iste misisset, Iesu Christi. Et vero etiam post, cum v. 4. dixisset: *Ego te illustravi in his terris*, perspicue verba interpretatur his: *negotium perfeci quod mihi perficiendum dederas. Quo modo autem? Significavi, inquit, nomen tuum hominibus quos mihi in terrarum orbe concesseras.*

Iam cum ista vox exstitisset, populus audito sono nec tamen percepto dicebat intonuisse aërem, alii, qui vocem percipissent, angelum cum eo collocutum. At Iesus v. 30: *Non mei causa inquit hæc vox delapsa fuit, sed vestri* h. e. non tam ad me confirmandum sed ad docendos vos, ne, cum videritis me depressum miseria vehementissimisque cruciatibus vexatum, dubitetis me esse regem quem Deus promiserit, sed diuina voce admoniti credatis fore, ut vel sic, etiamsi aduersarii me torqueant, etiamsi aduersariorum omnium princeps omnem vim excusserit in me, Deus me ad speratam maiestatem traducat. *Nunc*, addit v. 31, *hic mundus subibit iudicium, nunc princeps huius mundi extrudetur. Ego vero, cum sublatus fuero e terris, omnes traham ad me.* Quæ verba explanationem desiderant, sunt enim admodum obscura, et, nisi sensus ipse, ratio tamen eorum intelligendorum, paulo dilucidius, quam fit, declarari posse videtur.

Κόσμος igitur non, ut fert quorundam interpretum sententia, proprie Iudæos complectitur, qui reuocatione Christi e mortuis deberent impietatis in Christo interimendo admittæ conuinci, nequi enim asseri hæc vis vocabuli idoneis argumentis potest, sed eos omnino omnes, qui disciplinam Iesu Christi non admisissent, quo quidem nomine non ut Iudæi a gentibus, sed ut Christi discipuli ab iis qui repudiarent eius doctrinam, discernentur. Hæc quidem notio regnat in vniuerso Ioannis Euangelio, eamque postulat perspicua disiunctio *τὸ κόσμος & τῶν διακόνων τῆ χειρὸς* v. 26. Nec diabolus, quem esse *ἀρχοντα τοῦ κόσμου τούτου* statim docebimus, princeps dici possit Iudæorum, nisi quis forte Iudæos & Christiane

stianæ doctrinæ aduersarios eosdem diceret esse. Iesus item ipse v. 47. cum se neget *κείνεν τὸν κόσμον*, illud his iisque clarissimis verbis interpretatur: *Si quis non audierit doctrinas meas nec iis fidem habuerit, non ego iudicabo illum, sed (v. 48) qui me spreuerit nec admiserit doctrinas meas, hunc iudicabit doctrina quam proposui.* Hæc ipsa verba Christi viam commonstrant intelligendæ *κείνεν τὸν κόσμον*, in qua exprimenda haud scio an Christus digitum intenderit ad modum loquendi, quo Iudæi Messiam iactare solerent gentes *iudicaturum*, ductum illum e Psalmo II. aliisque locis, quem ita correxerit Iesus vt, non gentes a Iudaica religione alienas, sed aduersarios doctrinæ suæ omnino omnes, quales inter Iudæos vel maxime proprieque essent, tale iudicium subituros diceret. Nempe in sacris scripturis sæpenumero *iudicandi* dicuntur ii qui causâ cadunt h. e. stultitiæ aut criminis rei deprehenduntur, vt *iudicantes*, quorum verbis factisue alii erroris aut male facti conuincuntur, veluti cum Iesus Matth. XII, 41. Nineuitas dicit *condemnatos* contumaciam Iudæorum Christo aequalium, exemplo videlicet suo, nam illi, inquit, *μετενόησαν εἰς τὸ κήρυγμα Ἰωανῆ*, cum Iudæi isti Christum Iona longe excellentiorem ne audire quidem vellent, & v. 27. Pharisaëorum discipulos daemonia expellentes *iudices* Pharisaëorum appellat hæctenus, quod recte ea & diuinitus putarentur propulsare, cum Christum quidem Pharisei negarent vi quadam diuina idem ipsum facere. Quo eodem sensu Paullus Noachum profitetur Ebr XI, 7. *κατακείνεν τὸν κόσμον*, nempe fide sua ceteros, non obsecutos admonitioni diuinæ, stultitiæ aut impietatis arguere. Idcirco hoc vult dicere Christus nostro quidem in loco: iam instat tempus, quo ii, qui repudiauert doctrinam meam, arguantur male fecisse; plane vt in loco eiusdem argumenti c. XVI, 8 sq. *παράκλητος* dicitur conuincere *τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας*, peccati, h. e. criminis contumaciæ aduersus Euangelium, quo sensu *ἁμαρτία* sæpe dicitur, vt in epistola ad Ebræos, addit enim vt desinat quale sit istud peccatum, *namque non credunt in me.*

Dubitari autem non potest, cum longe lateque serperet doctrina Iesu Christi, contemptaque illa quidem a multis, ab aliis tamen quam plurimis probaretur, stultitiae conuictos esse aduersarios, vanissimaque eorum consilia Christi eiusque honoris opprimendi euerſa; qua in re ista *κεῖς τῶ κόσμῳ* maxime continetur. Nam primum in loco, quem modo excitauiſus e Ioannis c. XVI. criminis conuincendi dicuntur per *παράκλητον* h. e. Spiritum sanctum, cuius ipsum nomen Christus c. XIV, 26. interpretatur in hanc sententiam, ut *ille doceat omnia* quae Christus ipse ad commodiora tempora distulisset, *omniaque ab ipso iam dicta in memoriam suggerat*, vel, ut c. XVI, 13 addit, Christi discipulos *ad omnem veritatem dirigat*. Quare nec ille *ἐλεγχος τῶ κόσμῳ* aliter factus dicatur quam docendo, non sic ut Deus, quem ad modum Apostolis, sine ullius rei interuentu, iis item cognoscenda suffecerit, sed ut propagatione doctrinae per Christum Apostolosque traditae spem labefactandi honoris Christi destruxerit, consiliorumque contrariorum omnium atque insidiarum vanitatem demonstrauerit; plane sicuti Deus 1 Cor. III, 19. dicitur *δρασσόμενος τὰς σοφὰς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν* h. e. docens ipsis doctrinae effectis temeritatem philosophorum qui eam tamquam stultam & imbellem contempsissent. Porro haec ipsa *κεῖς τῶ κ.* coniungitur cum vi atque auctoritate principis huius mundi sublata, quam quomodocumque explicaueris, euerſa tamen aliter intelligi non potest nisi per sparsam quaquaersum doctrinam Christi. Accedit etiam illud, quod, quoniam cupidi huius doctrinae disiunguntur a mundo, atque illi per doctrinam trahuntur ad Christum, pudefactus aut stultitiae condemnatus mundus intelligendus sit haecenus, quod doctrina sitienter a multis requisita irritam consiliorum aduersariorum prauitatem reddiderit. Postrema Iudaei omnes gloriam regni a Christo constituendi putabant hanc habituram vim, ut mundus aut gentes, vno verbo aduersarii Christi, condemnarentur; quae sententia, si, quod dubitationem non habet, ducta fuit e Psalm. II. non potuerunt istam *κεῖσιν* secus intelligere quam

quam de consiliorum hostilium euerfione, quæ labefactare aut impedire gloriam regis illius non possent, sic enim ea res in illo Psalmo describitur. Itaque nec alium sensum his verbis in sermone Iesu Iudæi potuerunt subiicere, nec Iesus aliter intelligi voluisse videtur.

Sed quid est istud: *iam princeps huius mundi eiicitur?* Principio licebit sumere, non proprie hoc nomen significare doctores Iudæorum, quamquam & illi, idque in primis, darent operam ne Iesus tamquam Christus agnosceretur, iique ipsi alias dicuntur ἀρχοντες τῆ κόσμου τῆς. Neque enim vsquam in singulari ἀρχων τ. κ. τ. adhibetur de his, sed de cacodæmone scæpius, c. XIV, 30. 2 Cor. III, 4, non quo is ipse aut proprie repugnauerit Christo eiusque doctrinæ cursum impediuerit, sed quod in sacris scripturis, vt peccato Rom. VI, 12 & morti c. V, 14, sic diabolo, cuius auctoritate homines primum ad peccandum incitati fuerint, hac ipsa de causâ etoque ipso sensu, imperium in peccatores omnes inprimisque hostes Euangelii tribuatur. Quam ob rem illius vis atque potestas labefactata dicitur, quotiescunque per propagatam doctrinam aut susceptam disciplinam Christi homines eius essent e potestate, s. erroris aut impietatis seruitute, erepti. Hunc igitur dici τὸν ἀρχοντα τ. κ. τ. atque ita vim eius fractam, planum faciunt loci similis argumenti. Iesus, vt hoc vtar, cum Apostolis confirmat Luc. X, 18. se Satanam vidisse, fulguris instar, de cælo delapsum (quod plane est Ioanneum ἐκβληθέντα ἐξ οὐρανό), quid est aliud, quam vim eius esse destructam, nam illud πίντεν ἐκ τῆ οὐρανό, vt ex astris decidere apud CICERONEM ad Attic. epp. III, 21, de iis dicitur qui potestatem amisissent, deserintque florere, veluti Matth. XI, 23. Et vbicunque homines translati dicuntur in regnum Dei aut Christi, iidem illi tamquam exemti e diaboli potestate ab eiusque imperio liberati describuntur, Col. I, 13. Act. XXVI, 18. quod factum per Euangelii lumen eadem ipsa loca profitentur. Quæ cum ita sint, non dubitandum videtur, Iesum, cum v. 32. se promiserit *sublatum e*

ter-

terris omnes ad se tracturum, id de doctrina sua vbiunque locorum, apud omnis quoque generis homines propagata intellexisse. Cuius sensus & supra rationem idoneam reddidisse speramus, & *πάρως*, perspicuum est, referri ad omnis generis homines, etiam eos qui erant de gentibus, quales in primis huius rei declarandæ occasionem Iesu dedissent, secus quam Iudæorum ferebat opinio qui sibi soli consueuissent hanc felicitatem ciuium Messie tribuere.

Iam quis est vestrum, *Academie nostræ Ciues humanissimi*, qui sentit quam salubris sit & ad bene beateque viuendum vniue maximè necessària disciplina Iesu Christi, qui non item cupiat istius fructum vberimum capere? Cuius capiendi quæ potest certa spes esse, nisi eadem, quamquam molesta, quam Christus monstrauit atque præiuit, via ad illam exoptatissimam metam contenderimus? Quod quidem habet hanc vim, vt non modo quæ inciderint, Deo ita volente, aduersa constanter atque gratias agendo feramus, sed etiam sponte vel durissima suscipiamus, si quidem sine his aditus ad Christi regnum non pateat. Enimvero cum hi vltro suscepti homineque liberali maxime digni labores in primis contineantur perenni acerrimæque contentione studii diuinæ doctrinæ atque contentu etiam iucundissimarum voluptatum quæ nos reuocare a virtute Christiana possint: agamus etiam hoc per hos ipsos dies, quibus dolorum Domini nostri Iesu Christi atque per istos consecuti gaudii memoria celebratur, intendamus oculos in hunc ducem & remuneratorem fidei nostræ, qui, *cum posset vita beata frui, aduersa tolerauit, et, contempta ignominia, ad dextram throni diuini consedit*, atque eius exemplo & fortunatissimo dolorum exitu excitemus nos ad simile certamen subeundum vt similem olim coronam consequamur. Quod quidem propositum studium DEVS O.M. felix faustumque iubeat esse. P. P. pridie sollempnitatis Paschalis A. C. MDCCLXXVIII.

Fe 4194

ULB Halle 3
002 623 889




St

Retov







33

IO. AVG. NOESSELTII
INTERPRETATIO GRAMMATICA
LOCI EVANGEL. IOANN. C. XII, 20-33.

PROLVISIO
AD COMMENDANDAM CELEBRATIONEM
MEMORIAE IESV CHRISTI E MORTVIS REVOCATI
NOMINE ACADEMIAE HALENSIS
SCRIPTA.

HALAE,
FORMIS HENDELIANIS A. MDCCLXXVIII.